



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**D. Burchardi VVormaciensis Ecclesiae Episcopi,  
Decretorum Libri XX. ex Consiliis, & orthodoxoru[m]  
patru[m] Decretis, tum etiam diuersaru[m] nationum  
Synodis, ceu loci communes congesti, in quibus ...**

**Burchardus <Wormaciensis>**

**Parisiis, 1549**

Vt vnusquisque presbyter vna Ecclesia contentus sit. xlvi.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-10722**

presbyteris dedimus, & vnicuique ius proprium habere statuimus, ita videlicet, ut nullus alterius parochiæ terminos, aut ius inuadat, sed vnusquisque suis terminis sit contentus, & taliter Ecclesiam & plebem sibi commissam custodiat, ut ante tribunal aeterni iudicis ex omnibus sibi commissis rationem reddat, & non iudicium, sed gloriam pro suis actibus accipiat. Hanc quoque normam, charissime, te, & omnes episcopos sequi cõuenit, & quod tibi scribitur, omnibus quibuscunq; potueris notum facias, ut non specialis, sed generalis fiat ista præceptio.

De eadem re. Cap. XLIIII.

**V**NVSQVISQVE presbyter Ecclesia vna ad quã *Ex cõcil. Remensi, cap. 2.*  
ordinatus est, contentus sit, & nullus in duabus Ecclesijs ministrare præsumat.

De eadem re. Cap. XLV.

**S**icut in vnaquaque Ecclesia presbyter debet esse, ita *Ex eodẽ concil. ca. 8.*  
si ipsa Ecclesia quæ sponsa, vel vxor eius dicitur, non potest diuidi inter plures presbyteros, sed vnum tantummodo habebit sacerdotem, qui eam castè & synceriter regat. Vnde interdiciamus, ut nullus præsumat Ecclesiam inter duos vel plures diuidere: quia Ecclesia Christi vxor & sponsa debet esse non scortum, sicut Calistus papa testatur.

*Ut vnusquisque presbyter vna Ecclesia contentus sit. Cap. XLVI.*

**S**TATVTVM est, ut vnaquæque Ecclesia suũ presbyterum habeat, vbi id fieri facultas prouidente episcopo permiserit. *Ex eodẽ, cap. 11.*

De eadem re. Cap. XLVII.

**S**icut enim episcopus non plus potest habere quã vnã *Ex cõcil. Hãnetẽsi, cap. 3.*  
ciuitatem, & vir vnã vxorem, ita presbyter vnã tantum Ecclesiam. Itaque nullus presbyter plures præsumat habere Ecclesias, si de statu suo gaudere desiderat.

De eadem re. Cap. XLVIII.

**S**iquis de ordine sacerdotali contẽptu minoris Ecclesie ambitiosè & improbè ad potiõrẽ aspirauerit, cano *Ex cõcil. Meldẽsi, cap. 10.*  
nica erga eũ definitio cõseruetur, hoc est, ut vrisq; carcat.